CAROLO VI. CÆSARI AUGUSTISSIMO

Poſt fuſum cæſumque ad Savum amnem Turcarum exercitum.

EPINICIUM.

A' FRANCISCO GRIMALDI SOCIETATIS JESU

Habitum in Aula Maxima Collegij Romani Anno MDCCXVI.

EMINENTISS., AC REVERENDISS. PRINCIPI DOMINO,

D. WOLFANGO ANNIBALI

EX COMITIBUS DE SCHRATTENBACH

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Ampliſſimo, Inclytaque Eccleſiæ Olmùcenſis Epiſcopo Vigilantiſſimo, Germaniæ, atque Statuúm hæreditariorum Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ Comprotectori, Cæſareæ, Regiæque Catholicæ Majeſtatis intimo, atque actuali Conſiliario.

ROMÆ MDCCXVII.

Typis Joannis Franciſci Chracas propè S. Marcum in viâ Curſûs.

Superiorum permiſſu.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

EN tandem , PRINCEPS EMINENTISSIME , *in lucem proferimus eximium hoc publicæ fœlicitatis ac lætitiæ monumentum , quo invictiſſimi Cæſaris conſilium , providentia, magnanimitas , cœteræque virtutes , quibus ipſe ſuperiore anno admirabiles adeo de immaniſſimo hoſte Turca victorias retulit,* immor-

Digitized by Google

immortalitati jure, ac meritò commendantur. Cernere in eo licet peſſimos hoſtes, rupto per iniuriam fœdere, violatoque jure gentium, latè militum copijs invadentes Chriſtianam Rempublicam; nobis vitam, Religionem, ſacra denique, & humana omnia eripere meditantes; Italiam, ipſamque ROMAM *pati metuentem, quæ hoſtium furori libuiſſent: Sed poſtremò nos operà Auguſtiſſimi Cæſaris metu ſolutos intuebere, læta omnia, atque tranquilla; depulſos quaſi è noſtris cervicibus ferociſſimos hoſtes, nunc eandem ſibi ìpſis vereri perniciem, quam in nos antea machinabantur. Hoc ſanè monumentum omnino Tibi*, INCLYTE PRINCEPS, *inſcribendum putavi, quippe quum eò pertineant cogitationes tuæ omnes, eò ſtudium, induſtriaque collineent, ut Cæſaris ampliſſimum nomen magno apud omnes in bonore, debito illo quidem, babeatur; vebementiſſimèq; læteris, ubi intelligis, illud ab eximijs Scriptoribus celebrari, atque literarum ope committi memoriæ poſterorum. Verùm fortaſſe nullum Tibi munus videbor ipſe tribuere, propterea quia alieni eſt opus ingenij, quod tuo ceiſiſſimo nomini conſecravi: Sed quum tantum facultatis non babeam, ut immortales Auguſtiſſimi Imperatoris laudes, non dicam exornare, ſed ne enarrare quidem poſſim, illius certè famæ, gloriæque putavi me quoque boc edendo opere conſulturum, & ob banc cauſam pergratum aliquid Tibi eſſe facturum. Non enim omnia poſſumus omnes, ut ille ait; ſatiſque eſt ad magna niti quoquomodo quis valeat. Fuere præterea, cur id facerem, privatim mibi cauſæ*, PRINCEPS EMINENTISSIME, *quòd me benignè jandiu in tuam clientelam ſuſceperis, quòd tantà liberalitate tuo Patrocinio me foveas, ut intelligam, nibil non à me Tibi deberi: Sanè locus bìc mibi aperitur uberrimè laudandi tui. Neque id modò ſingularis mea erga te obſervantia, ſed bonorum omnium ſtudia poſtularent. Ac prætermiſſis fortunæ donis, quibus cœteroquin abunde cumularis, neque tamen ullam ex ijs apud poſteros commendationem Tibi quæris, remqve veluti alienam ducis vetuſtiſſimę familiæ ſplendorem, ex qua ortus es, dicendum eſſet de eximia tua probitate, prudentia, cœteriſque animi dotibus*,

tibus, quas in Te eſſe probè omnes agnoſcunt. Verùm etſi materies copioſiſſimè mihi ſuppeteret, voluntas etiam præſto eſſet, deeſt tamen ingenium. Malo igitur ea ſilentio præterire, quàm ſermonis inopia imminuere. Deus Optimus Maximus, HUMANISSIME PRINCEPS, *Te quamdiutiſſime ſervet incolumem ad publicam Chriſtianæ rei utilitatem, atque ad ætatis noſtræ decus, & ornamentum.*

Eminentiæ Veſtræ.

Humillimus, Devotiſſimus, & Addictiſſimus Servus
Lucas Antonius Chracas.

Digitized by Google

Carminis Argumentum.

NOndum a bello inter Chriſtianos Principes magnis animis commiſſo reſpiraverat Europa, cum Acmetes Turcarum Tyrannus gravatè ferens præreptam ſibi occaſionem Chriſtianos civilibus armis diſtentos opprimendi, bellum nihilominùs Cæſari contra fas, ac fœdus, atque auſpicia denunciat. Turcici ac Cæſarei exercitus apparatus & copiæ breviſſimè deſcribuntur. Ea commodum nocte, quæ prælium anteceſſit, Mahometes Gentis Legiſlator, Viſirio videndum ſe præbet; eumque ab conſerendâ cum Sereniſſimo Eugenio pugnà pluribus per quietem deterret: Ne in Cæſaris poteſtatem Othomanicum Imperium relabatur, Eugenium ipſum ſupplicis in morem adeat, ac bellica munera, oleæque ramum præſeferens, ſibi ſuiſque tantum Ducem concilians, impendens malum avertat: Sed tamen à Viſirio rejectus, quin & ludibrio etiam habitus eidem mortem, Turcicis copiis internecionem prænunciat. Interim dum hæc geruntur, Romanæ Urbis ſacer Genius arma, quibus Catholicæ Fidei Defenſores inaugurantur, ſummi Numinis imperio Eugenio defert; eique certiſsimam Victoriam pollicetur. Bellum utrinque ſummis viribus committitur: Inclinantem paulatim ſuorum aciem, ope Cœleſtium armorum Eugenius ſiſtit; aſſeritque: ex quo fœda tandem Turcarum clades, ac Viſirii mors eſt conſecuta.

Lector adverte.

Q*Vamquam Auctor vim aliquam Somniis, & Mahometi futurorum prudentiam tribuere videatur; profitetur tamen ſe rectis Catholicorum ſenſibus adhærere, eaque omnia poetica eſſe commenta.*

QUÆ

QUÆ procul expulsâ veteris caligine ſortis
Lux animis inopina redit? quæ ſordida luctu
Nuper, & inſtantis pallens formidine cladis
Templa fatigabas Superûm; nunc gaudia vultu,
Gaudia nunc oculis, cultus induta recentes
Roma refers? feſtumque aris indicis honorem?
Sic eſt: Noſco Aſiæ luctum; quantâque litatum
Strage Gelonorum votis communibus; aures
Impulit & noſtras Scythicæ modo fama ruinæ,
Concuſſuſque Oriens, exutaque Thracia caſtris,
Flumina barbarico tardataque ſanguine. Vicit
Relligio: vicit juſtiſſima Cæſaris ira.
Impietas percu'ſa jacet: dementia ceſſit
Conſilio: furor, improbitas, audacia nervis
Lugent exectis: virtus Germana triumphat.
Sed tamen, ut dubio jactatis æquore nautis
In portu labat ipſa quies; ſemperque videntur
Turbati maris effigiem, ſcopuloſque videre,
Et medijs abſortam undis fluitare carinam:
Sic mihi, quamquàm omnis penitùs deceſſerit horror,
Priſtinus hæret adhùc animo timor, horrida Thracum
Ora, truceſque minas, ferrumque immane catenæ
Odriſiæ oſtentans: noſtro tùm ſanguine Tibrim
Fumantem, Latiaſque Nurus indigna trahentes
Vincula, congeſtumque ſacris altaribus ignem
Mille modis gravat; &, tanta inter gaudia quamvis,
Non ſinit abduci veteri formidine mentem.
Fallor? an Ungaricis exultans Thracia palmis
Per coacervatas non unis cædibus alpes
Pervolat Italiam? Romamque ingreſſa, ſiniſtris
Attonitam fatis, ferro latè omnia miſcet
Inſultans? mediâ prædas Viſirius Urbe
Dividit; & Scythicis horrent Capitolia Lunis?
Scilicet hoc dudum votis inflata ſuperbis
Thracia ſperabas: i nunc irriſa, tuamque

 Cla-

Cladibus à tantis trepidantem conſule Mecham;
Cæſareas, i', ſterne acies; i', fœdera rumpe
Ante diem: cernis, toto ceu flumine Nilus
Te vocat, ut turpi ſtillantem à ſanguine frontem
Abluat, & mœſtâ pavitantem protegat urnâ?
Rite calent aræ: rite omnis ſemita fervet
Letitiâ; Carolumque ſuum feſtiva ſalutat
Roma; unoque omnes defixi in Cæſare pendent.
Tu modò, quamquam artes, placidæque inſignia pacis
Sunt animo ſemper; placeat nec gloria, luctu
Quæ paritur, miſero populorum aut ſanguine creſcit;
Cerne (licet quoniam, cum ſtrata Cadavera victrix
Relligio inſideat, Geticiſque incumbat acervis)
Cerne Quirinali Clemens ſublimis ab arce
Threicijs latè pallentes oſſibus agros,
Sanguineumque Savum; tum belli cæde calentem
Stringe ſinu Eugenium, tantiſque aſſurge triumphis;
Gaudentemque tuis Te tandem oſtende. Priorem
Fortunam, & nunquam vacuos à luctibus annos
Obruit una Dies, & magno fœnore penſat.
Nec minus, ut meritis Te nunc longo ordine Fama
Circumſtet titulis; venturaque ſæcula juſtum,
Magnanimum, priſci revocantem exempla decòris,
Supplicibus facilem, debellantemque ſuperbos
Compellare velint; multuſque annalibus ibis;
Gloria nulla prior Tibi ſit, quàm Thracia nuper
Conſilijs afflicta tuis, pulſique timores,
Otiaque Auſonijs dulciſſima reddita terris;
Nec non ſervatæ laus ſit tibi maxima Romæ.
Tu quoque purpurei decus immortale Senatûs
Progenies VVolfange Ducum Comitumque, thiarâ
Spectandus vittiſque ſacris, qui Cæſaris aulam
Majeſtate refers parili, Caroloque Quirites
Concilias, ſtudijs florens popularibus Urbis,
Parce, levi ſi fortè manu, rudibuſque, fatigent

Quæ

Digitized by Google

Quæ famam, & magnâ hiſtoriam ſub mole gravabunt,
Perſequar ipſe modis. Seſe ultrò ars ipſa minorem
Prædicat, Auſtriacoſque timet pudibunda triumphos
Deterere, & falſis veras corrumpere laudes.
Hinc ſeriem tanti, Te coram, dicere belli
Sit labor, & raptos Muſis ulciſcier Argos.
Marte fatigatas longo pax aurea terras
Viſerat, armorumque omnis conſederat horror.
Jam Batavi ceſſere Mari; navalibus altis
Anglia ſe recipit; tum mixto fœdere paſſim
Germani Gallique ruunt; quin & tria belli
In patriam poſt luſtra redux trunca ora, lacertoſque
Oſtentat miles, ſolvenſque è caſſide crines,
Canitiem, licet hæc juvenis prius arma ſecutus,
Non expectatam natis trepidantibus offert.
Diditur Odryſias extemplo fama per Urbes,
Unanimes agitare ſimul placida otia Reges
Fœdere compoſito; Pharium ſimul illa Tyrannum
Aggreditur, ſtimuliſque animum conturbat amaris.
Subſtitit; infremuitque ferox; lectoque ſuorum
Concilio, mediâ ſic turbidus incipit aulâ.
Forſitan, ingenti cum ferveret undique bello
Europa; alternis concuſſaque Regna ruinis
Conciderent; placidâ contentus pace quòd armis
Abſtinui, tantoque Aſiam concurrere motu
Noluerim, indecorem & priſcæ virtutis egentem
Acmetem arguerit quiſquam: ſed Numina juro
Regnis æqua meis: dudum hæc incendia lentus
Spectabam, ſpeculâque ſedens ſublimis ab altâ,
Tantâ exultabam Regnorum cæde; ruentis
Et gemitum Europæ mecum exaudire juvabat.
At nunc, cum feſſos bello diſcedere Reges
Undique fama refert; ne verſis forſitan armis
In nos irruerint; trepidos paſſimque labantes
Ilicet oppreſſiſſe juvat. Sed fœdera primi

Rumpimus, & pactos nondum conſumpſimus annos.
Scilicet has leges, quæ lex eſt unica Regni,
Utilitas quærat. Sedenim Germania Regnis
Aucta novis, Caroloque ſuper ſe Cæſare jactat.
Eſto; ſed & nervis exhauſtaque viribus. Arma
At non iſta probat, qui templa Maconis, & aras
Fatidico Superûm interpres regit ore Sacerdos:
Egregium Auctorem! Regum eſt decernere bella;
Templa Sacerdotes, queis templi eſt credita cura,
Atque Aras, & ſacra colant. Oracula gentis
Fac me vaniloquæ dudum hæc præclara ſecutum,
Et bello abſtinuiſſe manus: non impete primo
Victa iterum noſtris ceſſiſſet Græcia ſignis;
Qui Curſus, non pugna fuit. Feliciter acta
Si Pelago nobis res eſt, ubi claſſe valemus
Forte minùs; magis & varios victoria caſus
Martis habet, Pelagique vices ſors una gubernat;
Quid terrâ fiet? nunquam tot ſigna ſecutæ
Pridem noſtra acies: Regum præmiſimus aulas
Qui tacitè explorent: auro pugnamus, & armis;
Virtutemque, doloſque juvat confundere in unum.
Quòd ſi juſtitiam noſtris prætendere bellis,
Jura fori, & Reges privata audire jubetis;
Tempore quo, raptas ſævis prædonibus Urbes
Non liceat repetiſſe mihi? Ceſſabimus? Ipſi
Strigonium intereà, Budamque, atque alta Caniſſæ
Mœnia ſecuri teneant? erepta ſit ingens
Agria, Sighetum, celſis & Murſia ſaxis
Impendens? nos vile pecus ſpectabimus? Arces
Quid memorem Varadine tuas? totque oppida dudum
Pannoniâ in magnâ, nullo quæ jure rapaces
Germani abſtulerunt? Solio num pellar avito?
Ungaria, Ungaria, exuvijs Domus aſpera belli,
Threicijs paſſim terra inſignita triumphis,
Sanguine parta Patrûm multo, famæque Theatrum

Antè alios Solimane tuæ, ſic culmine tanto
Dejectam aſpicio? famulæ ten' ſupplice cultu
Juſſa aliena pati, atque Aquilis parere ſuperbis?
Non ego, per caput hoc juro, Regnique thiaram,
Numen & hoc Sceptri, noſtris inoleſcere factis
Dedecus hoc patiar: belli prævertere molem
Si cupiunt, trepidiſque ſedet ſententia; prædam
Actutum revomant male partam ex gutture; pacem
Supplicibus dabimus. Sin tantùm tempore parvo
Ceſſarint; multo cumulatam ſanguine reddent.
Nec ſatis: illam ipſam, nova propugnacula quamvis,
Atque Semiramios jactet malè turgida muros,
Vel Lotarum, uanaſque iterum mihi ſuſcitet umbras
Heroum, facili caſuram Marte Viennam
Spondeo: quid ſtamus? Superiſque faventibus, alpes
Ffodimus nondum? nondumque per arva feracis
Currimus Italiæ? luxuque jociſque fluentem
Opprimimus gentem, Romamque invadimus ipſam?
Hic modò quidquid opum votis cumulavit avaris
Freta Sacerdotio, vallataque numine multo
Vana ſuperſtitio, vobis jam largior: unam
Egregio ex facto, quæ mox laus ampla ſequetur,
Veſtrum erit indulſiſſe mihi. Mercede laborum
Hac una contentus ero; ſi pectore veſtro
Nominis alta mei defixa hærebit Imago;
Fama que venturos exſuſcitet iſta Nepotes.

Talibus Acmetes. Bellum effudiſſe putares
In medium: ſimul arma fremunt, ſimul omnibus unum
Romanas Arces, Italamque evertere gentem
Votum immane fuit. Vix belli claſſica ſignum
Concrepuere; Duces extemplo, & nota ſecutus
Arma ruit miles. Credas efervere montes,
Fluminaque alta rapi, motaſque à ſedibus Urbes
In bellum ire ſuis. Coeunt in ſigna, nivalem
Qui Pindum, Taurumque colunt; hos Iſmarus armat,

Hos Rhodope; Pangæa jugis pars ardua linquit,
Pars Omolen: rareſcit Athos; decreſcit Olympus;
Oetaque deſcendit: duris tum Civibus Hæmus
Fit minor; & Phlegræ non immemor exilit Oſſa:
Omniaqne horrifico circum juga Marte moventur.
Quin etiam implacidam velatus arundine frontem
Ipſe tubam belli Tanais capit: ilicet omnes
Audivere Getæ. Scythicis examina campis
Erumpunt. Tanaim Eurotas ferale canentem
Inſequitur; motâque calens pater Inachus urnâ
Cæphiſſum vocat; hic Aſopon protinus armat
Igne pari inſtinctus, lævâque Iſmenon euntem:
Totaque barbaricis conjurat Græcia ſignis.
Mox Peluſiacas idem rapit impetus Urbes.
Undantem hìc bello Memphimque, nigramque Sienen,
Effrenoſque Arabas, Getulaque ſigna ferentes
Aſpiceres Numidas, totamque ardere videres
Gentem exſcitam Afris, Libyciſque cubilibus. Unà
Cappadoces, Ciliceſque ruunt; Cypruſque Rhoduſque,
Meſſibus & fœlix & Baccho cognita Lesbos
Condensè arma fremunt. Nunquam tot marmore verſo
Exultant fluctus, ubi raucis Adria Coris
Intumuit; nec humum tot adactæ turbine frondes
Inſternunt; ſi quando jugis inſedit in altis
Spiritus alpini boreæ; quot in arma phalanges
Thraca rapit. Denſo vaneſcunt milite campi;
Umbranturque cavæ valles; nec flumina potum
Sufficiunt. Patrij tùm ſævus imagine Martis
Europamque, Aſiamque ſuis Libyamque ſub armis
Stare videns, juſto Viſirius agmine bellum
Ducit, & Ungaricis figit tentoria campis.
Nec minus interea trepido commota tumultu
Arma vomit plenis bellatrix Auſtria caſtris.
Vix notæ fulſere Aquilæ; jamque horrida campis
Se ſeges armorum ſtrictis mucronibus infert:

Digitized by Google

Teutones, & duro bellantes tegmine Quadi,
Boemique truces, Moravûm quos denſa ſequuntur
Agmina; Cæſariemque prementes caſſide Svevi.
Quid Tungros, Grudioſque loquar; quid nomina Belgas
Militiæ ſpectata, trucique aſſueta Gradivo?
Idem Italos commovit honos. Inſubria rurſus
Tela novat; duriſque fremunt delectibus Urbes.
Tu quoque Sirenum celebratus amoribus amnis
Ære renidentes mittis Sebethe maniplos,
Feliceſque vocas bella ad deſueta colonos.
Agminis Eugenius Ductor, quin agminis inſtar
Unus erat: pauci, ſed vivida pectora bello.
Relligio antevolat; Pietas comitatur euntes;
Et numerum Virtus, Fortunaque Cæſaris implet.
Jamque in conſpectu legio conſederat arvis
Utraque Pannonicis: acies certare paratas
Cum ſubitò Oceano inſurgens, miſeriſque quietem
Conceſſura brevem diſterminat, ac dirimit nox.
Sternit ſe Miles; varijs inſomnia formis
Illudunt; ſedenim cunctis ſub imagine ſomni
Blanditur, facileſque offert victoria lauros.
Interea moti quem fama Orientis ab imis
Sedibus exſcivit, ſqualentia pallidus ora,
Atque ſuis metuens Maometes, noctis adultæ
Tempore, ut inſtantem fatorum averteret iram,
Threicium ſtetit ante Ducem, hiſque illum increpat ultro.
Dormis? nec quantæ tibi ſint diſcrimina pugnæ,
Mox adeunda vides? averſaque numina nondum
Sentis? extremamque Aſiæ impendère ruinam?
Certè ego, quod potui, cum me mea fata ſinebant,
Hactenus Odryſias, felicibus undique rebus,
Sum tutatus opes; Arabumque e paupere Regno
Egreſſus, gentem vitæ præcepta ſecutam
Noſtra, novis latè terrarum finibus auctam,
Effeci dominam rerum; nunc funditus omnes

Occi-

Occidimus: Superûm Auſtriacam favor omnis in unam
Incubuit gentem : Carolum ſuper æthera ferri,
Victorem Carolum, ſceptriſque armiſque potitum
Odryſijs, geminum Imperium communiter unis
Qui regat auſpicijs, ſtudijs certantibus omnes
Cælicolæ volvere : viam felicibus illi
Quique paret fatis, comes alto huic numine Divûm
Additur Eugenius, quo non præſtantior alter
Dux Italà ſe gente tulit. Qui pectora tantus
Oppreſſit ſtupor, ut neglecto fœdere gentem
Invictam primi, & bello appeteretis iniquo?
Ergo age : ſi monitis ſupereſt locus ; accipe paucis;
Qnid fieri res ſumma jubet. Tu Numine lævo
Cauſatus bellum, minùs & fœlicibus arma
Sumpta tibi auſpicijs, repetenda oracula Mechæ,
Taurorum & pingui placandum cæde Maconem,
Uulgus in ambiguum fere. tum cœleſtibus ipſe
Oſtentis adero, Thracumque per aſpera corda
Occultum inijciam violatæ pacis amorem.
Munera præterea, biſcentum ex agmine lectos
Captivos, totidem phaleris ſqualentibus auro,
Inſtratoſque oſtro alipedes, Phrygioſque tapetas,
Ipſe manu tendens ramum ſocialis olivæ
Eugenio Magno defer : res dura ; fatemur;
Sed tamen Imperij jam jam fortuna ruentis
Invitum has tentare vias, & iniqua coegit
Conſilia. Inſtantem haud liceat vitare ruinam:
At liceat traxiſſe moras : ſuprema paretur
Supremis medicina malis. Quid vertice muſſas?
Auctor ego : res ipſa jubet. Subriſit amarùm
Olli, ingentique hæc Viſirius addidit irâ.
Menè jubes cultu tendentem ſupplice, pacis
Munera ferre viro? poſcentes prælia Thraces
Me cohibere jubes? tantiſque paratibus ultro
Ceſſantem, tempus ſperatæ amittere pugnæ?

Fingen-

Fingentem cauſas, repetenda oracula Mechæ,
Taurorumque novâ placandum cæde Maconem?
Quis furor hic tantus? tantas cum Thracia vires
Extulerit; ſolùmque manus victoria poſcat,
Funditus occidimus? Superûm at favor omnis in unam
Incubuit gentem: Superûm? Quæ cura quietos
Solicitat; CAROLUM victorem ad ſidera ferri,
Imperioque unus qui mox aſſurgat utroque,
Cęlicolæ volvere: patet via. Thracibus unum
Scilicet hoc votum eſt; veniat; ſua Regna capeſſat,
Et Bizantinà ſedeat metuendus in Aulà.
Tu modò quiſquis ades, qui noſtris futilis auctor
Huc te contuleris rebus, quem numine Divûm
Electum canis, ut CAROLO ſua fata ſecundet;
Hæc mea dicta refer: pugnæ ſe comparet; arma
Expediat: medià compellaturus arenà
Advenio, pauciſque virum Viſirius opto.
Quid dubitat conferre manum? cur aggere ſeptum
Se tenet, & magnis circùm impedit agmina foſsis?
Exeat; aut juſto ſi cernere Marte recuſat,
Biſtonias illic acies, primoſque meorum
Exultantem inter, ferroque, manuque Tonantem
Me licet expectet. Fatis ſe jactat amicum:
Sunt mea fata mihi. Tanto indormire Maconem
An bello rear, & noſtri meminiſſe negandum eſt?
Cardine qui tanto ſuperos miſcebit, & imos,
Thracia quò vincat. Nec tu maleſane, Maconis
Vera mihi effigies: furiarum verbera noſco,
Et Stygiis cæſum flagris latus. Ilicet angues
Intentans capitis, fumantem & ſulphure tędam,
Hæc ſuper, horrendoque Macon tonat ore: Maconem
Menè negare, tuiſque audes inceſſere dictis?
Reſpice ad hæc; pugnam, quoniam ſine viribus auctor
Sum tibi, committes; hoſtes magno impete primus
Inſilies: ſtolidæ ſed poſtquam audacia gentis

Deto-

Detonuit; Germana gradu ſe attollere certo
Paulatim incipiet virtus; perductaque tandem
Ad ſummum erumpet, totoque fragore tonabit
In cuneos effuſa tuos. Quæ flumina noſtro
Sanguine onuſta? Virùm quæ ſaucia corpora cerno,
Indecoremque fugam, deſolatoſque maniplos?
Tu modò, poſtremùm nunc alloquor, accipe noſtras
Sancta mihi dudum, dilectaque Thracia, voces:
Teſtor utrumque chaos; teſtor, qui fulmine ad Orcum
Terribili caput hoc, nova dum mendacia ſpargo
Legifer in vulgus, magnis compulſus adegit
Criminibus, cladem me prædixiſſe meorum,
Oſtendiſſe aliquam, quam res dabat ipſa, ſalutem;
Denique vitaviſſe nihil diſcrimine tanto;
Thracia ne caderes. Nec tu fœdiſſime, longùm
Lætaturus eris; cædemque, fugamque tuorum
Inter, & Odryſio manantes ſanguine campos
Ignotâ feriere manu; nova lumine caſſus
Supplicia expendes; flammis ambuſta ſonabit
Corporis effigies; quoniam data præda cadaver
Alitibus, canibuſque jacet; ſua lumina paſcent
Mox Bizantinæ per grata incendia Matres,
Suppliciumque tuum; quòd tantum effuderis impos
Sanguinis Iſmarii: nunc nunc juvat ire ſub umbras
Gaudentem; opperiar; ſequar atris ignibus illuc
Exanimem, totoque caput Phlegetonte tegentem
Umbra inimica tibi ſemper: dabis improbe pœnas.
Vix ea, cum putres extemplò effuſus in auras
Vanuit ore Ducis; conſternatumque relinquens
Nequicquam, Stygiis Maometes redditur oris.
Nec minùs interea Cœli de parte ſerenâ
Numinis Imperio ſacer Aliger arma ferebat
Eugenio; atque hic, terribilis ſub imagine ſomni
Arma ſuo meditantem animo, clypeoque reclinem
Talibus alloquitur; pugnæque inſpirat amores.

Sal-

Salve magnorum venerabile Germen Avorum,
Salve Heros dilecte Deo, quo ſe Itala virtus
Tantùm effert, quantum non forſitan ipſa Latinos
Roma vetus jactabat Avos; quem millibus unum
Opponit; ſibi nec penitus deſerta videtur.
Ille ego ſum, totum cui ſpargere cura per Orbem
Sacra Dei, & veras Populis oſtendere leges.
Gentibus Iſaciis quondam, dum gentibus illis
Vera Dei pietas ritu floreret Avorum;
Fidus eram cuſtos: nunc deſolata reliquit
Poſtquam Templa, ſuoque Aras ſine honore jacentes;
Et Vaticani ſe tandem in Templa recepit
Relligio; hìc ſtabilem Sedem, æternumque locavit
Imperium: ex illo mutato nomine gaudens
Nunc Romæ Genius dicor ſacer: hùc tibi ſummi
Numinis imperio, quæ defenſoribus olim
Sueta dari Fidei poſt longa exorſa laborum,
Arma fero munus tibi. Pridem inſignibus iſtis
Ornati Lotarus, necnon Gotefridus Eoum
Imperium, & fatis Lybiam affecere cruentis.
Hos ſequere, & paribus famam virtutibus imple.
Hæc tibi præterea ritu ſacra dona Latino,
Et rata perpetuùm Clemens jubet eſſe, ſuumque
Ingens Auguſtum donis cœleſtibus omen
Addit ovans: tibi Romuleas indictus ad aras
Omnibus in Templis ſupplex honor additur; in te
Nunc ſuprema ſalus: Cernis ceu Græcia paſſu
Servili (cui frontis honos, & priſca receſſit
Gratia) truncarumque notâ pudibunda comarum,
Vix trahit Odryſiam, greſſu lapſante, catenam,
Atque tuas reſpectat opes? ut pluribus inſtem,
Nec tempus, nec cauſa petit. Quin Lucifer almum,
Cerne, jubar referat, ſolitoque rubentior exit
Strage Aſiæ. Vinces Magno Clemente ſupinas
Mox Cœlo tollente manus, Nec plura locutus

Emi-

E micuit; ſimul arma ſolo defixa reliquit
Limitem agens lucis. Fugientem talibus Heros
Protinus excepit: ſequor ò, ſequor omina tanta;
Arma Dei capio; Magni Clementis & arma
Stringo libens: ſimùl his vincendum. Haud plura locutus
Fatiferam capiti galeam, Libycique ruinam
Enſem humero locat Imperii; ſimul ordine bellum
Inſtruit; atque acies inter ſublimior exit.
Et jam, quem furiæ ſcelerum, tortiſque tenebant
Anguibus Eumenides medium; tum lampade furvà
Occultus comes ipſe Macon agitabat, amaram
Increpitans noctem, campo ſeſe arduus infert
Nil dejecta tuens Viſirius: agmina torvis
Mox circumſpectans oculis; ubi quemque ſub armis
Stare videt, primus violato fœdere, Belli
Dat ſignum, magnis contorquens viribus haſtam.
Extemplo clamorque virûm, ſtridorque tubarum,
Timpanaque, lituique fremunt. Procurritur. Atra
Ilicet ad Cœlum, telorumque horrida nubes
Cum tonitru ruit, & campo ſe miſcet utroque
Undique fata ferens. Cæduntur; & ordine nullo
Germani Thraceſque cadunt. Mors paſſibus æquis
Vadentem ſequitur media inter prælia Martem,
Alternatque vices: donec, ceu turbine fracto
Totus ab effuſis dirumpitur imbribus æther;
Nec ſe ſtagna tenent; ſic toto cominus actum
Impete utrinque fuit: miſſum in compendia bellum eſt.
Ergo elati enſes ſublimibus enſibus inſtant,
Et galeę galeis, & ſcuta ſonantia ſcutis
Mixta, virique viris; obverſaque quadrupedantùm
Corpora corporibus. Belli ſeges horrida latè
Fluctuat; effuſoque rubeſcunt ſanguine pugnę.
Interea totis tormenta tonantia ripis
Horrendùm micuere; viamque per arma, per hoſtes
Mors ſibi dira ſecat: Pediteſque, Equiteſque cruentis

Ad terram volvuntur equis. Furor errat ubique;
Alternoque acies calcat pede. Funera Mavors
Hactenùs æquarat; luctuſque erat omnibus idem;
Cum ſubitò nova ſe campis immittit apertis
Maurorumque, Arabumque phalanx; patrioque ululatu
Feſſam alacres aciem, teliſque recentibus urgent.
Fit fragor. inſtabili peditem veſtigia greſſu
Figentem, ſenſimque ſuos nutare maniplos
Vidit ubi Eugenius, ſic fervidus inſtat. Et unde
Germani timor hic novus? En victoria præſtò eſt;
Si modò duramus. Pugnę deferbuit ardor
Primus ubi; mox barbaricis vis ægra ſeneſcit
In manibus. Tales non quondam expertus ad Iſtrum
Vos ego ſum. Totam contra, ſi deſerar, unus
Ibo Aſiam: pro Caesare mors ſubeunda libenter,
Pro re Romanà, pro Relligione Parentum.
Mox ſimul ipſe pedes, ceu Lucifer almus Eoo
Cardine defixus, Lunamque, & Sydera terret,
Ære cavo tonat, & cœleſtibus aureus armis.
Perculit inſolitus Thracas nitor. Ilicet omnes
Turbatique Arabes, conſternatique Sabæi:
Biſtonidaſque, feroſque Getas nullo objice virtus
Exultans Germana metit. Tum ſtridor ubique,
Luctus, & effuſis mors undique ſævit habenis.

Aſt ubi palantes toto videt æquore campi
Hàc illàc fluitare ſuos; rara agmina, fractos
Turcarum cuneos, interluſtreſque cohortes,
Ingentemque Aſiæ cladem, & ferale Maconis
Augurium reputans, medios moriturus in hoſtes
Exhortatur equum Viſirius: ira, pudorque
Præcipitant. Gladium rotat; obvia quæque cruento
Exæquat, ſternitque ſolo: mox uudique ſeptum
Se licet aſpiciat; furit, exultatque: receptis
Donec vulneribus, totoque à pondere belli
Oppreſſus, medià jacuit reſupinus arenà

Fœ-

Fœdam animam exhalans. Rupto velut æthere nubes
Cum tonat, emiſſumque volat magno impete fulmen;
Ignis ubi alternis cunctatus flexibus hæſit;
Perniciem campis paret; an magis æquore claſſes
Turbet; ab oppoſiti dejectus viribus Euri
Tandem exit, rumpitque vias, ſcopuloque ſolutus
Frangitur, inque ſuam ruit, expiratque ruinam.
Pax pelago, campiſque redit: fumantia ſpectant
Saxa hilares nautæ: tandemque aſſurgit arator,
Quem procul à tauris ſtravit fragor. Agmina verſis
Mox penitus ſignis fugientia cominus inſtant
Teutones à tergo: cędunt, mactantque pudendis
Uulneribus. Stratis ſonipes inſultat acervis;
Pannonicoſque tegunt cumulata cadavera montes.
Quin etiam patrio rorantem flumine barbam
Attollens pater ipſe Savus,trepidantia plenis
Corpora vorticibus paſſim impedit: ipſe latentes
Diducitque ſinus, ſubitoque intercipit æſtu
Inſtabilem, & paſſim veſtigia cęca trahentem,
Reliquias Belli, peditemque, equitemque. Feruntur
Pręcipites: medias Nilotica gaza per undas
Sparſa fluit: Scythicâ vada fervida cæde tumeſcunt.
Quæ prius hic miranda Deæ, extremâq; canendum
Quid mihi parte datis? dicam tot millia Thracum
Fuſa ſolo? noſtri victoria ſanguinis expers
Occurrit celebranda mihi. Dicam agmina turpi
Verſa fugâ? mœrens abjectis Thracia caſtris,
Prędaque opima ſubit, galeæ, tormenta, quadrigæ,
Barbaricæ veſtes,Phariique opulentia luxus.
An Themeſvariam laceris procumbere muris,
Belli ingens pretium, mirer magis? omnibus anteit
EUGENIUS: tanto Tu me ſub pondere rerum
Attonitum Dux magne rapis: tibi vincere Thraces
Ludus; & Hungaricis pridem tranſacta juventus
In Campis, multâ fœdato cæde Tibiſco,

Nec.

Digitized by Google

Necnon Auſtriacis tritum ſub pellibus ævum
Hæc in bella iterum, fortunaque Caesaris ingens
Non miſere rudem. Magnum tibi clade peractum
Eſt decus ex tantâ; magna eſt ea gloria. Cerno
Hungariam laceris gaudentem ſubdere Lunis
Auſtriaco ſua colla jugo: fumantia ſpecto
Arva cadaveribus: video, quantâque Gelonum
Intumuit de cæde Savus; nec præterit horror,
Helleſpontiacam qui dudum invaſit Abydon,
Et ſeptemgeminum turbat formidine Nilum.
Gloria magna quidem, multoſque auctura Nepotes;
Uni parva tibi; Pharium de ſede tyrannum
Ni tandem eiicias, Soliſque Orientis ad ipſos
Deducas Aquilas fontes: tum barbara latè
Serviat Auſtriacis Aurora oppreſſa triumphis.
Hic campus tibi reſtat adhuc; virtutibus Heros
Hæc ſupereſt meta ampla tuis: non impigra mentis
Vis tibi, non belli ſub caſſide parta gerendi
Dexteritas, factiſque ingentibus addita cuſtos
Non Fortuna deeſt; ſuperant quæ prælia; ſolo
Nomine conficies. Licet interciſa fluentis
Areſcant tot ſtagna ſuis; licèt æquore valles
Diducto emergant, tot propugnacula paſsim
Subſidant; licèt Italiæ inſuperabile vallum
Improviſo alpes abſorbeat Orcus hiatu,
Atque parem ſubeas Pater Appennine ruinam:
Barbariam contra, effervefcentemque profundo
Boſphoron ex patrio, Geticique exorſa Tyranni,
Hoc clypeo contentus ero. Nec laudibus iſtis
Vos ego fraudarim, Hungarici quos pulvere campi
Aſperſos mediâ pugnantes victor arenâ
Devovit Mars ipſe ſibi. Vos gloria ſemper,
Donec erit virtus, præclariſque addita factis
Gratia, ab immemoris caligine ſubtrahet ævi.
Vobis parta quies: quo turbine, novimus, hoſtis

Op-

Oppreſſus jacuit, vel cum caderetis; acervos
Pannonicisque manus quos veſtra infixerit arvis.
Fœda fuga: at patriæ pulchrum eſt impendere vitam,
Vincentemque mori: priſcæ quod labis inhæſit,
Expiat, & largas veſtro pro nomine Roma
Cœlicolis litat inferias. Utinamque parare
Ultra aliquid potuiſſet amor! Vos ſanguine veſtro
Hungariam, & Carolo terras peperiſtis avitas.
Vobis Relligio defenſa Altaria, vobis
Aſſertam debet ſibi maxima Roma quietem.
Æternùm ſalvete mihi. Tu denique noſtri
Unus amor, columenque ingens, & gloria Sæcli
Carole, perge novis veteres cumulare triumphos;
Perge tuos Scythicis diſtinguere cladibus annos.
Non ſatis eſt fudiſſe hoſtem: procumbat in ævum
Ilicet omne nocens peſtis; prius illa ſubactas,
Quàm reparet vires, ſeſeque recolligat. Artes
Barbaries has vilis habet, per fœdera clades
Diſsimulare ſuas, tacitiſque incumbere bellis;
Atque iterum renovatam animis emergere. Vires
Sunt tibi, delectique Duces; orbique regendo
Par tibi mentis ineſt prudentia. Fata dederunt
Nec fruſtra Eugenium: Duce, dum potes, utere tanto;
Illi Aſiam, & Pharii fatum concede Tyranni.
Poſcimus hoc omnes: patriis Leopoldus ab aſtris
Hoc petit, Auſtriadæque tui. Tu magna Tonantis
Progenies, Tu, Christe, tuo ſub Numine quando
Bellaque, Regnorumque vices, & ſumma potentum
Fata Tyrannorum torques: ſuperaddita rebus
Tu Virgo tutela potens mortalibus: enſe
Terribilis tu Paule tuo: quique æthera claudis,
Et reſeras Veneraнde Senex: cunctique, Latinum
Queis amor Imperium totum vulgare per Orbem
Caelicolae, auſpiciis Carolo aſpirate ſecundis:
Fortunate Duces; & amico fœdere juncti

Hoc